372

DISPUTATIO PHILOLOGICA
PRIMA
DE

THEOLOGIA GENTILI.

Ex Antiquis nummis eruta & Antiquitate illustrata, Complectens potissimum VESTAM & JOVEM:

quam

Divinis Auspicijs

PRÆSES

M. BALTHASAR BOEBELIUS

Argentoratensis,

&

RESPONDENS

M. JOHANNES PREUSSERUS

Wittebergensis

Publico Eruditorum Examini

submittunt.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS BORCKARDI, MDCLXIII.

12.

oll. diss. A
1, 36

a. XV. 36.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn344897974/1
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn344897974/2
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ARGUMENTUM.

Theologiæ Gentilis definitio: divisio: objectum, dij in varias classes distincti. Observanda in nummis de diis. Dij custodes, averrunci, tutelares, Genitales, Auspices, Nutritores. Vesta, ratio nominis, cognomina, imago, situs, insignia, habitus, templum, sella curulis, simulachri absentia, sacerdotes. Jupiter πολυώνυμος, lectisternium; sacrificia, ludi, insignia. quædam judicia Patrum de hisce diis hinc inde insperguntur.

Thesis I.

Definitio.

THeologia gentilis, â qua *Theologi gentilium* vocantur apud August. I. XII. cont. Faust. Manich. c. 15. est falsus de Deo divinisq; rebus sensus & cultus, ortus astu diaboli ex nimia creaturarum admiratione & amore. Quamvis enim alij aliis veritati fuerint viciniores, quod de Platonicis prædicat Aug. I. VIII. c. 1. CD. tamen præter unum verum Deum alios etiam Dea stros admiserunt.

Divisio.

§. 2. Dividebatur Theologia in tres partes 1. μυθικὸν γένος 2. φυσικὸν. 3. πολιτικὸν, sicut videre est apud doctissimum varronem in libris antiquitatum. Priore genere delectati sunt maximam partem poetæ; alterum stoici potissimum excoluerunt; tertium ad rationem civilis vitæ & tranquillitatis erat compositum. Poetæ monstrosissima quæq; de Diis Deorumq; ortu, affectibus, fatis commenti sunt: stoici contra omnia ad naturam physicasq; rationes revocabant: Politici verò religione ad populum continendum utebantur.

Objectum.

§. 3. Objectum Theologiæ gentilis est tota colluvies Deorum variorum adeoq; cum copiosissima fuerit & confusissima gentilium Theologia vel potius idololatria, admodum difficile est invenire tot Dea stro-

Arnob. IV. adv. gent. p. 81. edit. Elm.

Aug. C.D. l. IV. c. 10. u. VII. 3. 7. 10. 11.

Objecti divisio.

ſtrorum commodas claſſes in quas diſtribuantur. Inde fit ut alij aliter diſtinctionem inſtituant. Nos communem illam teneamus qua diſpeſcuntur I. in *Conſentes & Selectos*. Illi dicuntur à conſiliis quæ communi conſenſu ſuſcipiunt ſeu capiunt. Suntq; ab Ennio his verſibus expreſſi:

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo,

Horum habebantur numero quorum in mundo adminiſtratio & cultus præcipuè obtinet: ſuntq; *Janus, Saturnus, Jupiter, Genius, Mercurius, Apollo. Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Liber Pater, Tellus, Ceres, Juno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Veſta. II. Indigetes*, quos Græci ἡρῶας, ἡμιθέους, ἡρῳῆας appellabant. In quibus eminent: *Hercules, Liber, Æſculapius, Caſtor, Pollux, Quirinus*, & reliqui Romanorum *imperatores. III. Divas cœlo donantes*, quales ſunt: *Mens, Virtus, Honos, Pietas, Fides, Spes, Pudicitia, Concordia, Quies, Salus, Felicitas, Victoria, Religio, Nobilitas, Juſtitia, Æquitas, Clementia, Indulgentia, Liberalitas, Annona, Providentia, ſanitas, Æternitas, Fortuna, Fœcunditas, Pax, Securitas, Libertas, Conſtantia, &c. IV. Semnones, ut ſunt E. g. Juventus, Adjutrix Lucina, Moneta, &c. V. Ruſticos, quales E. g. Pan, Terminus, Bonus Eventus, Segetia, Flora, Tempus. VI. Peregrinos, qui ſunt: Deus Fidius, Iſis, Oſiris, Serapis, Anubis, urania, &c. VII. Miſcellaneos*, quo ſpectant *Affectus* E. g. *Horror, Pallor, Hilaritas; Imagines Locorum* E. g. Romæ, Tiberini, Italiæ, &c.

Obſervanda ex Nummis.

§. 4. Horum Deorum ex antiquis nummis cerni poſſunt vel 1. Nomina eaq; aut in genere; aut in individuo; vel 2. imagines; vel 3. habitus; vel 4 inſignia; vel. 5. ſacerdotes; vel 6. ſacrificia; vel 7. aræ & vaſa ſacra; vel 8. Ludi; vel 9. inſcriptiones; vel 10 vota; vel 11. Templa; vel 12. geſtus; vel 13. adjuncta alia.

§. 5.

§. 5. In *genere* vocantur Dij e.g. I. *Custodes*, in nummo Pertinacis, vel quod tutelam gerant hominũ locorumq;, vel quod facta dictaq; hominum observent: diversi a. erant, pro diversitate objectorum quibus præerant e. g Custodes ruris habebantur Intercidona, Pilumnus, Deverra, Aug. I C. D. I. VI. c. 9. Juno, Lucina, Diana &c. Puerperarum. Sicut apparet ex nummis Faustinæ: Alio nomine etiam dicebantur *Averrunci* ἀλεξίκακοι, quales sunt Væjovis, Timor, Pallor, Averruncus, Robigo, Hercules; vid. Lud. Viv. not. ad c. 8. l. IV. Aug. C. D. Alex. ab Alex. lib. I. c. 13. *Tutelares* diversis populis locisq; diversi: quorum *nomina* interdum in vulgus erant *nota*; e g. Romanorum dicebantur Tutanus & Tutelina. vid. Aug. C. D. I. VIII. c. 8. interpp. ad c. 8. spect. Tertull. aliquando *occulta*, ne ab hostibus evocarentur propriis suis nominibus. Vid. Plut. qq. Rom. 66. II. *Genitales*, in Crispina Commodi; quorsum referuntur *Juno Lucina, Diana, Venus, Priapus, Ilythia, Virginensis, Nixia, Subiga, Prema, partunda &c.* Aug. VI. c. 9. C. D. in quæ monstra Tert. de anī c. 39. graviter invehitur; *omnes*, inquiens, *Idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc uteri, insulis apud idola confectis redimitis, genimina sua Dæmoniorum candidata profitentur. Dum in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur, dum per totam hebdomadem Junoni mensa proponitur, dum ultima die fata scribunda advocantur, dum prima etiam constitutio infantis super terram Statinæ Deæ sacrum est.* Sunt qui per hos Deos intelligant quatuor Elementa, unde omnia nascuntur; nec non Solem Lunamq;: juxta Ægyptios, δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην. Imò eo insaniæ processit Idololatria, ut genitalia etiam membra pro Diis Genitalibus haberet. Sicut annotat Alex. ab Alex. I. VI. gen. c. ult. III. *Auspices*, sic diceban-

Nomina generalia communia

cebantur â Pertinace, propter auſpicia quibus præerant in variis negotiis ſuſcipiendis. Vid. Val. Max. c. 4. lib. I. IV. *Nutritores*, in Gallieno, quod nutrirent homines, imprimis verò Dis pater Altor; & Proſerpina Tellus nutrix vocatur in libb. Pontificum.

Lud. viv. Annot. ad l. VII. c. 23. Aug. C. D.

Nomina ſpecialia.

§. 6. *Inſpecie* verò ſuis quisq; Deorum Dearumq; gaudebat *Nominibus*, iisq; ſæpe variis, dum gentiles ad Deorum ſuorum naturas, effecta, beneficia, maleficia, reſpicientes, inde nomina ipſis imponebant, cultus; figurasq;. Vide Chartar. de Deor. Imag: p. m. 13. Refert autem Varro apud Aug. I. IV. c. 31. C. D. Romanos plusquam annos CLXX. Deos ſine ſimulacris coluiſſe. Unde colligimus nummos imaginibus Deorum Dearumq; inſignitos, recentiores eſſe apud Romanos. Sed de tempore nummorum ſuo tempore fuſius dicemus, convertimus nos jam ad *Deos Conſentes* eorumq; primo matrem, quæ eſt

Dij Conſentes.

VESTA

Veſta. Nomen.

§. I. *veſtæ* nomine venit vel Saturni mater, quæ & Terra dicebatur; vel ejusdem Filia, quæ ignis habebatur, imò ipſam Cererem Veneremq; hoc nomine expreſſerunt, uti refert Aug. l. IV. c. 10. C. D. Rhea-Ops, Cybele, Diana, Tellus, eodem titulo veniebant, ut ex varron. l. IV. annotat Fr. Jun. ad Tert. de Spect. c. 8. Veſta autem vocatur juxta eruditos; vel quod *ſtat vi Terra ſua vi ſtando veſta vocatur:* vel ab hebræo אש & יה ſi Voſſio credimus l. II. Theol. gent. c. 65. vel â veſtiendo terram; vel ab ἑστία focis. vocatur autem cognomine I *ſancta*, quod *cuſtos imperij flamma*, Deæ ſimulacrum, templum, Penates, Palladiumve; *Antiſtites* â nemine temerari debebant. Sacrum enim vel ſanctum dicebatur *quidquid eſt quod Deorum habetur;* ut refert Trebat. apud Macrob. III. ſat. c. 3. Alex. ab

Alex

Alex.l.VI.c.14. *fiebat a.accenso foculo Cum tibicine, verbis priscis & solennibus consecratio l.c.2. Mater*, scil. Magna, vel Deorum, à Julia Severi, quia scil. pleriq;, Dii de terra fuerunt: August.l.VI. C.D.c.8. vel quod invenerit infantum morbis lenimenta quibus multi curabantur, l. c. vel quod Terra omnibus alimenta subministret; eodem nomine vocatur etiam Cybele à Julia pia, Faustina 3. *Vesta populi R. Quiritium* vocatur, quod singulari cultu, Numa auctore, â Romanis colebatur. Vid. Urs. de num. p. 288. Lips. pec. tr. de Vest. *II. Imago & situs* hujus Deæ est Fœminæ sedentis. *Fœmina est*, quia terra omnium mater creditur; quatenus verò Ignis est, virgo habetur; *Ignis* enim nihil ex se generat. Veteres porrò Deum humana forma finxerunt, quod *homini cum de Deo cogitat, forma occurrat humana, deinde quoniam rebus omnibus extellat natura divina, formaquoq; esse pulcherrima deceat, nec esse humana ulla pulchriorem. Tertio quod nulla alia figura domicilium mentis esse possit. Sedentis* est imago, ad declarandam Terræ stabilitatem, vel majestatem divinam, quod esset inter Deos Majorum gentium. Vid. Lips: ad Plin. Panegyr. *III. Palladium* dextra tenet, quod est imaguncula armata, simulachrum Minervæ, â Chrysante Dardano pro dote datum; quod Ilij fuit, donec eo capto Æneas secum in Italiam deduxerit: Lavinio Romam translatum, & in æde vestæ statutum est. Vid. Aug. C.D.I.I. c.2. & Vivem ad I.III. c.7. Tenet eadem dextra etiam *Simplum;* quod erat vas sacrum â sumendo nominatum; juxta varronem; sed juxta Fr. Junium in not. ad Apol. Tert. c.13. ab Hebr. סמל. juxta Scalig. â simpone, quod fit â Græco σίφων, *vasculum cum tenui fistula, vel angusto collo, ad Pitissandum vinum. Facem* eadem manu tenet; symbolum æterni ignis: *Ramum:* ad denotan-

Imago.

Cic. lib. I. Nat. D.

Adjuncta.

notandas plantas quas terra producit. Quæq; ipsi solebant primitiæ offerri. Alias in plerisq; sacris Sabina herba adhibebatur, quod crediderint se sine ea non posse fanum, sacellum, ædemve dicare. Et quem fugit quantus fuerit verbenæ in sacris usus? sinistra instructa est *hasta pura*, quæ signum est divinitatis. Nam apud veteres Romanos hastæ pro Dijs immortalibus sunt habitæ, iisq; datæ, qui strenuè se in prælio gessissent: Reges quoq; loco diadematum ipsis sunt usi. Vid. Chartar. in Junon. frequentissimum est hoc insigne in imaginibus nummariis. *Stantis* est imago, etiam cum *patera* in dextra. Vas & hoc sacrum est, in sacrificijs usurpatum, juxta illud Virgilij: *Patera libamus & auro.* Symbolum hoc divinitatis frequentissimum est in antiquis nummorum idolis. Quod autem *stare* videatur vesta, alluditur forsan ad nomen quod stet vi terra sua, vi stando *terra* vocetur; vel etiam quod stantes ipsi sacrificare solebant. In nummo enim *Severi quatuor* vestales videntur adstare aræ suæ Patronæ. Stans quoq; sinistra tenet hastam puram. *IV. Habitu* est *velata*, apud ursin p. 288. eo quod *caverent sibi sacrificantes ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus quo impedirentur hoc agere quod agebant.* Vid. Plut. qq. Rom. X. *V. Templum* ipsius rotundum, ἐξάστυλον, in medio stante vel sedente Dea, videtur illud in Nummo Neroniano. *Rotundum* est, quia terra rotunda; unde & Cybele gaudet rotundo tympano, & rotundæ veterum mensæ erant, vestæq; dicebantur, quia sicut terra nos nutrit, ita & in mensis cibi s. nutrimenta apponuntur. Plut. dec. VIII. Symp. probl. *In medio* sedet ipsa Dea; qui Terra in medio est, circa quam solam immobilem *sedentem* reliqui Dij curros suos stellas circumagunt, μέγας ἡγεμὼν ἐν τῷ οὐρανῷ ζεύς; τῷ δὲ ἕπε-

Justin. lib. XLII. 3.

Arnob. lib. III 71. adverf. gent.

Habitus.

Templum.

τοι

ται σφαῖρα θεῶν καὶ δαιμόνων καὶ δώδεκα μέρη κεκοσμημένη Plat. in Tim. vel etiam quia intra terræ viſcera perpetuus ignis fervet. Sedet autem *in domo* ſ. æde, forſan quod antiquitas credidit ipſam primas inveniſſe domos, inde eam εὑρήματος ἕνεκεν ἐντὸς τῶν οἰκιῶν ἔγραφον, ἵνα καὶ τούτους συνέχοι καὶ φύλαξ εἴη τῶν οἰκούντων. Poſid: in Heroi: citante Nat. Com. l. VIII. c. 20. Myth. hinc & Plato dicit: μένει ἑστία ἐν θεῶν οἰκῳμένη. In Phæd. *Sellam Curulem* Caſſiæ gentis nummus in medio ponit, ad deſignandum magiſtratum curulem, quem geſſit quis ex Gente Caſſia cum ædem Veſtæ reficeret. Eſt autem figura ejus quadrangularis, ligno, vel potius ebore transverſim incumbente duobus fulcris latioribus. Hac inter alios utebantur Ædiles Curules, quorum officium erat ut templa reſtaurarentur. Unde etiam conſtat *de fine* ſpeciali hujus nummi ejusq; formæ, nempe denotare ædis refectionem; vel etiam pudicitiam, qualem exemplo Veſtalium Veſtæq; Deæ præſtare tenentur omnes fœminæ. Alludi etiam videtur ad id cujus meminit Alex. ab Alex. lib. V. c. 12. quod *olim in æde Veſtæ ipſius Deæ nullum ſimulacrum extiterit, quia veſtam nihil aliud quam animum & divinum putarunt ignem, quæ divina mens animo concipitur, oculo non videtur.* Unde videtur Caſſia gens ſine Deæ imagine templum dediſſe. Quandoquidem autem Veſta & reliqua gentilium Deaſtrorum colluvies phyſicè explicari ſolet, ſubjiciam h. l. judicium Tertull. (quem *omni genere literarum peritum* vocat Lactant. lib. V. c. 1. d. Inſt. πολυμαθέστατον; *Athenæis, Plutarchis, quibuscunq; paganorum philologis æquiparandum &c.* Mont. p. 11. Orig. §. 15. ad ann: Chr. 15. l. §. 16. 50.) lib. I. adverſ. Marc. §. 13. *Vulgaris*, ait, *ſuperſtitio communis idololatriæ, cum in ſimulacris de nominibus & fabulis veterum mortuorum*

Aug. d. C. D. IV. 31. Plut. in Num. c. 51.

lib. III. div. Conf Cic. §. 63.

 pudet,

pudet, adinterprepationem naturalium refugit, & dedecus suum ingenio obumbrat, figurans Jovem in substantiam fervidam, & Junonem ejus in aërem, secundum sonum Græcorum vocabulorum, item Vestam in ignem, & Camenas in aquas, & Magnam Matrem in terram.

Vestales.

§. II. Sacerdotes quæ Vestæ â servitiis erant, vocabantur *Vestales;* quarum unam exhibet nummus Claudiæ gentis *sedentem*, ut Deæ suæ situm referret. *Velatam* veste decenti & ad gravitatem composita; qui videtur esse sacrificantium habitus, de quo Festus apud Lipsium, *suffibulum*, ait, *vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum quod in capite vestales cum sacrificant semper habent, idq; fibula comprehenditur.* Quod confirmatur *Sympulo* quod Claudia vestalis manu tenet. Hæc est illa Claudia, quæ Patris currum triumphalem, cum triumphus ipsi vetaretur, & vis metueretur, conscensa, majestate religionis prohibuit ne quis triumphantem prohiberet vel violaret. Severi nummus exhibet *Quatuor*, qui erat primarum vestalium numerus, â Numa institutus, qui cepit: Geganiam, Veraniam, Canulejam, Tarpejam. *Adstant* autem more suæ Patronæ stantis *Aræ* quæ fatalem illum ignem sustinet. Adjunguntur ipsis duo pusiones *Camilli* dicti. dequibus Dionys. Hal. lib. II. scribit: *Romulus voluit uxores cum suis maritis fungi sacerdotio, & si quæ sacra viros obire vetaret mos patrius, ea relinqui fœminis in ejusq; ministerij partem debitam venire illorum etiam liberos; quod si qui prole carerent, eis licere optare ex quacunq; tribu puerum puellamq; elegantissimos, alterum ministraturum sacris donec pubesceret; alteram tantisper dum pura esset â nuptiis.*

Lactant. p. 105.

Serviunt autem vestæ *Virgines*, tum quod ipsa sit virgo; Cum quod, sicut ex Virgine, ita nihil ex igne nasca-

ſcatur Auguſt. lib. IV. c. 10. C. D. & ſicut virgines incorruptæ; ita & ignis. Dionyſ. Hal. lib. II. p. 126. ed. Sylb.

JUPITER.

§. I. Sequitur inter Deos conſentes ille πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. *Jupiter.* Cujus obſervanda *I. Nomina* ſ. cognomina, quæ varia habet à locis, effectis, ætate, deducta. vocatur enim *I. Axurius* facta denominatione vel â barba nunquam raſa, q. d. ἄνευ ξυρῆ ſine novacula: puer enim imberbis colebatur in Campania. A. Gellius etiam & Alex. ab Alexandro pueri formam, licet cornuti, ei tribuunt: vel â fonte Campaniæ Anxur, prope quem ipſius ſacellum; unde & â Virg. VII. Æneid. vocatur Anxurus. Vibia gens eundem exhibet *capite radiante:* colebant enim Romani *Jovem Lucejum, ut eſt in carminibus Saliorum, quem præeſſe credebant luci, ejusq; cauſam eſſe.* Vid. Feſtum apud Lud. Viv. ad lib. IV. c. 23. Aug. de C. D. imò juxta illud Poetæ: εἷς Ζεύς, ἐς αἴδης, εἷς ἥλιος, εἷς Διόνυσος. Unde etiam lyra & Apollo frequenter ei junguntur in moneta Catana Macrob. lib. I. c. 15. 23. non erraverit qui alludi ad ſplendorem ſtellæ, quam Jovem dicunt, dixerit. Siniſtræ *haſtam puram* adjungit: ſuperiore corporis parte *nudum* ſellaq; *ſedentem* eadem ſiſtit. Nudum, quia cognitus; ſuperiùs verò, quia non niſi â cœleſtibus Deus perfectè cognoſcitur; inferius *velatum*, quia ſublunaribus mentibus de ipſo perfectè non conſtat. Sedentem autem quia conſtantiſſimus habebatur Dominus rerum.

Nomina vid. in nummis Axurit. H. Gloz. in Græc. p. m. 223.

§. II. 2. *Capitolinus.* Sic vocatur â Petilia & incerto auctore: dictus â capitolio, ubi ipſius templum. Unde etiam ſub templo ipſo ſedet. 3. *Conſervator* à Gordiano, quia omnia conſervat. Adſtat nudus anteriore ſui parte; poſteriore velamine tectus; dextra pallij extremam apprehendit laciniam & *fulmina* triſulca,

quia triplex eſt ipſorum vis: urere, findere, penetrare. Unde & 4. *fulgurator* dicitur â Dioclet: cujus ope hoſtes vincuntur, quod conſtat ex captivo adjacente. Siniſtra tenet *haſtam puram*, ut Deus; dextræ adſtat *ſacerdos* vel quisquis ſit geſtans pateram, qua res divina indicatur: Licinianus nummus dextræ admovit *victoriolam*, qua forſan ſapientia divina indicatur; vel victoria ad hoſtibus reportata, vel quod Deus omnia, quaſi victoriæ jure, teneat. Quod colligere eſt ex *laurea* quam ore tollit *Aquila;* laurea autem eſt victoriæ Symbolum. *Aquila* cur ipſi adſcribatur, varij varias rationes afferunt. Sunt enim qui ideò factum putant, quia jupiter eſt omnium Rex, ſicut aquila avium: alij, quod creditur ex Creta oriundus ubi multæ aquilæ auguriis, quæ Jupiter docuit, aptæ; alii quod Jovi pugnanti tela Subminiſtraſſe perhibeatur; imò Romani aquilas pro ipſis Numinibus habuerunt. Vid. Tac. Annal. II. 17. ubi viſis ſex aquilis imperator milites acclamabat: *Irent, ſequerentur Romanas aves, propria legionum numina;* alij, quod *Jovi, cum ex inſula Naxo adverſus Titanas proficiſceretur, & ſacrificium faceret in litore, aquila in auſpicium advolaverit, quam victor bono omine acceptam tutelæ ſuæ ſubjugarit. Sacra verò hiſtoria etiam ante conſediſſe illi aquilam in capite, atq; etiam regnum portendiſſe teſtatur*, Lactant. Lib. I. Inſt. c. XI. eſt hic ales in Coſanorum nummis expresſus, quia *Jovis Vicilini* templum apud eos erat, cujus arma bello Punico ſecundo crepuerunt. Locrenſium nummus quoq; ſiſtit aquilam, eo quod durante inter ſe & Crotoniatas pugna, aquila aciem circumvolavit, victoriæ ſuæ quaſi nuncius, aut auctor. Meminit Tac. lib. III. hiſt. c. 74. quod Domitianus in ſummo Vitellianæ ſeditionis periculo conſtitutus, condiderit ſacellum *Jovi conſervatori* eo loco quo delituerat.

§

§.III. Huic analoga ſunt nomina alia, dum vocatur. 5.*Propugnator* â Tetrico, & exhibetur gerens dextra fulmen, ſiniſtra haſtam puram, nudus, pallio poſt tergum rejecto, adſtante aquila. *6.Defenſor.7.Tutator* hinc inde.*8.Cuſtos;* â Nerone & Otthone, ſella ſedet, indicantes Jovem ſe ea qua ſedent ſede conſervare; vel ſaltem ſe optare ut conſervet. Aut eo honore Jovem â ſe honoratum eſſe: dextra eſt armata fulmine, ſiniſtra haſta pura. Veſpaſianus verò, non ſeminudum, ut illi, ſed planè nudum, nec ſedentis, ſed ſtantis ſitum dedit: dextræ adpinxit pateram ſubjecta ara; ſiniſtræ haſtam puram. Quæ ſunt inſignia ſacrificij â Veſpaſiano geſtis feliciter bellis periculisq; evitatis inſtituti in honorem Jovis. Idem ferè finis fuit Auguſti, cum Jovem in quodam ſuo nummo. *9.Tonantem* vocari voluit. Referunt enim Suetonius, Dio, Dionyſius Hal. quod cum Auguſti lecticam in expeditione Cantabrica fulgur perſtrinxiſſet, ipſe Jovi Tonanti, cujus ope ſe ſervatum credebat, erexerit gratitudinis ergò templum. Unde in dicto nummo viſitur templum ἐξάστυλον ſub quo Jupiter nudus cum haſta pura ſedet. *10.Victor* cognominatur à Domitiano, Hadriano, Trebellio, Floriano. Sedens ſella, ſupernè nudus, tenens dextra victoriolam; ſiniſtra haſtam puram, nudus planè â Floriano exprimitur, ſolo linteolo dependente; aquila adſtante. *11.Domitorem orbis Terrarum* appellat eum Domitianus in num. *12.Triumphatorem.* Id. *13.* ἐλευθέριον Syracuſani: capite laureato; quod frequens ſuum inſigne *accepit de victis Titanibus.* Tert. de. Cor. mil. c. 7. & barbato probeq; crinito; unde Arnob. lib. VII. p. 126. eum vocat *ricinatum & barbatum.14. Vejovis* cognomine inſignem eum exhibet Cæſia: q. d. non Juvantis. Eum enim

Aug.C.D. l.VII.c.11.

nocendi vim tenere creditum est, unde vultus ipsi est ad terrorem compositus, manus sagittis armatæ: Fonteja laureatum ipsius caput expressit, subjecto fulmine. Solum caput Deorum hominumq; interdum exprimitur, quia tota majestas in capite: additur interdum collum & humeri cum pectore, quia hoc est sedes cordis. Mentum est vel læve vel pilis vestitum. Vid. Gorl. 39. VI. VII. IX. XI. tab. fecerunt autem tam terribiles Deos Gentiles, ut rudi plebeculæ metum incuterent. Nat. Com. præfat. lib. IX. & noceretàm juvenibus, quàm senibus ostenderent.

§. IV. *15. Terminalis.* in Terentia, sic dicitur â terminis limitandis & custodiendis; caput probè est crinitum fasciaq; distinctum, prolixa barba, forsan ad antiquitatem juris limitandi indicandam. Lactant. lib. I. c. 20. ait, inde esse, quod Saturnus dicatur lapidem pro Jove devorasse. Apud Gorl. 34. III. lapis terminalis est subjectus. *16. Ammonius.* Sic dictus juxta nonnullos ἀπὸ τοῦ ἄμμου ab arena, *Libycis quod gentibus* in arenosa sua Eremo colebatur; alij tamen alias derivationes afferunt quas nolumus omnes excutere, probabilior videtur Vos. Theol. Gentil. I. 32. II. â Chamo. v. חמה, caput ipsi pilosum, barba mediocris, cornua arietina ad tempora; exprimitur â Cornuficia & Pinaria; quod Cornufic, & Scarpus Africam provinciam administraverint. Sunt qui putant cornua ipsi intus contorta esse, propter involuta responsa quæ oraculum illud edebat; Sed vocat eundem Tertull. Apologet. c. 21. *Cornutum amatorem;* Alludens ad fabulam de Jove qui sub Tauri specie Europam adamavit & deportavit; sicut videtur in Volteja: Puto huc quoque alludere nummos quam plurimos Gelensium, Neapolitanorum, Puteolanorum, Suessanorum Calenorum &c. Taurum humanâ facie in sua moneta exprimentium. Vid. Arnob. adv.

adverſ. gent. lib. VI. 117. V. 102. Qui gentilem idololatriam hinc mirè exagitat & Ovid. V. Metam. v. 327. 17. *Creſcenſ.* in Valeriano, ἔυταρκος, nudus. pueri ſtatura, capræ inſidentis. *Capra* hæc credebatur eſſe nutrix Jovis; cumq; aliquando alterum de cornibus ſuis ad arborem confregiſſet, Jupiter frugibus repletum ubertatis illud perpetuæ promptuarium & ſignum eſſe voluit. Vid. Tert. Apol. c. 25. Amaltheæ dicitur illud & *Copiæ cornu*, frequentiſſimum in nummis inſigne ubertatis & felicitatis. Videtur indigitari Valerianus nepos Valeriani Imperatoris. *18. Juvenis:* à M. Aurel. Ant. *19. Stator* à Gordiano, dextra tenet haſtam puram; ſinistelum; ſtatura erecta. Sic dictus, vel quod exercitum Romuli, hoſtibus fugantibus, ſtiterit. Liv. lib. I. c. 12. Vel quod ipſius nutu omnia ſtent, ut conjicit Seneca. *20. Feretrius* in Claudia, quæ templum ipſius τετράσυλον cum ara ſubjecta excudit, ita dicitur quod opima ipſi *ferebantur* ſpolia. Et hoc numiſmate auctor procul dubio indicare conſtituit ludos aut ſacrificia, Jovi facta in monte Tarpejo. Vid. Tert. d. ſpect. c. 5. *21. Imperator* Vocatur à Pertinace, quod omnibus imperet. Fulmen eſt alatum, propter celeritatem. *22.* κάσιος. Sic dictus à Caſio monte Ægypti vel Arabiæ ad Peluſium, ubi ſepulcrum Pompeji. *23. Sponſor.* in M. Ant. Commodo: nudus, exceptis pudendis, ſiniſtra fulmen tenet, dextram imponit humero cujusdam imagini togatæ, quæ Commodum ipſum referre videtur, tenentem dextra globum. Sicut nec in ſuperioribus imaginibus omnino repugnabimus, ſi quis dixerit ipſos imperatores habitu Jovis indutos exhiberi. Non enim inſolens erat Deorum habitum ſumere & inſignia. *24.* διὸς ἀλλαντίς meminit nummo Syracuſanus & inſignem habet aquilam cum ſtella. Et quia P.R. *propter beneficia Jovem Opt. propter vim Maximum nominavit, inde idem tulit co-*

Vid. Lact. lib. I. 22. div. Inſt.

Cic. in Orat. pro. Dom. §. 144.

gnomen. 25. *Optimi Maximi a* Commodo. 26. *Exsuperis.*

ibid. De his & similibus Jovis cognominibus Minucius Fel. p. 14. sic judicat, *quid est ipse jupiter vester? modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur; & cum Hammon dicitur, habet cornua; & cum Capitolinus, tunc habet fulmina, & cum Latiaris, cruore perfunditur, & cum Feretrius, non auditur &c.* Augustinus judicat propter

C.D.VII. *tot nomina non tot res eum esse coegisse.*

II. §. V. II. Sacra. ad quæ referimus *Lectisternium* in honorem Jovis celebratum. Indigitatur à Cœ-

Sacra. lia, dum Jovem lectulo decumbentem exhibet. *Jovis* enim *epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur.* Val. Max. lib. II. c. 1. Cui epulo cum septem viri epulonum præfuerint, ideoq; *III finis auctoris* erat nummum illi declarando cudere. Finis *aliorum erat* vel denotare refectionem ædis Jovis, vel suæ devotionis rationem, quo trahimus *Bovem* infulatum, cujus medio dorso dependet linteolum; subjectus est culter victimarius: præposita arula igne flammante: quem Cæsar JOV. OPT. MAX. SACRUM dedit. In num. Cæs. vel *Ludos* ipsi Sacros, quos fulmen non rarò denotat, quod sellæ curuli impositum videre est in num-

Ludi. mo Lepidi P.M. idq; forsan ideò, quia Jupiter gravissimè soleat punire si qui ludos ipsi non ritè fecerint. Vid. Arnob. lib. VII. p. 145. 146. Minuc. Fel. p. 4. Val. Max. l. I. c. 7. §. 4. it. *quadrigas*, quibus Deos suos in ludis solebant vehere thensis impositos. *V. insigne animal* præ-

Insigne. ter aquilam, est *Cervus* in nummo Caulonitanorum, quia enim in Creta Jupiter est natus, educatus, crepundia etiam ejus & sepulchrum adhuc ostendantur, ideoq; cervus, Cretensibus familiaris, ei adjungitur: addito non raro *dictamno.* *Cervus enim sagitta transfixus ut ferrum & immedicabiles moras citus de vulnere expellat, scit. sibi dictamno medendum.* Tertull. de pœnit. c. XI. Arist. d. mirab. ausc.

Coll. diss. A. M. misc. 36

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn344897974/16 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG